Toletana Canonicatus super paritione, & declaratoria.

15

Reu. Pater. EX duplici capite, Declaratoriam decernendam speramus, & rescribendum non constare de paritione, nam licèt Reuerendissimum Capitulum Toletanum extradiderit Procuratori D. Principalis Canonicatus possessionem, nihilominùs cum illa extradiderit præuia infamatoria protestatione, quam non solum registrari mandauit in Libris Capitularibus, sed etiam quasi per præconem illam publicare fecit in Choro per suum Secretarium, adstante magna parte Populi Toletani, in qua protestatione Principalem, eiusque Ascendentes impuros esse fassum fuit; indè sequitur, vt cum non extradiderit possessionem modo debito, sed vitiosè, malitiosè, & quod magis est contra formam, & tenorem Literarum Executorialium, ac Decisionum Rotalium in dd. Litteris Executorialibus de verbo ad verbum insertarum, indè fit, vt contra Capitulum sit decernenda declaratoria, donec, & quousque possessionem debito modo, & ad formam Literarum Executorialium D. Principali extradiderit proùt indiuidualiter fauore Aloysij de Ouiedo contra Reuerendissimum Capitulum Toletanum respondit *Rota in decisione* 308. *impressa post secundum Volumen Farinacci, vt probaui in mea Facti à* §. *Et quidem, vsque ad* §. *Ex alio capite*.

Et quidem est decernenda Declaratoria, non solum donec, & quousque debitam, & vniformem Litteris Executorialibus possessionem Principali extradiderit, sed etiam donec, & quosque docuerint de laceratione, & cassatione dictæ infamatoriæ protestationis descriptæ in Libris Capitularibus, cum dicta protestatio, non solum lædat honorem Familiæ Principalis, sed etiam est apertè contra id, quod hoc Sacrum Tribunal definiuit, itaut tangit etiam decus eiusdem Sac. Tribunalis, cui Reuerendissimum Capitulum omnem reuerentiam præstare debet.

Eoque magis videtur declaratoria decernenda non obstante, quod fuerit extradita possessio supradicta, quia illa non purè, prout par erat, sed cum præseruatiuis contrarijs sententijs rotalibus, quo casu eadem semper conceditur, prout in nostris præcisis terminis hoc Sac. Auditorium practicauit contra idem Capitulum de anno 1611. ad Instantiam Lupouici de Ouiedo, qui licèt obtinuisset duas Sententias Rotales super sua puritate, & admissione ad possessionem Canonicatus S. Ecclesiæ Toletanæ, de quo ab Èminentissimo Ordinario prouisus fuerat, vt liquet ex decisionibus impressis *in prima parte recent.*, & subindè contra dictum Reuerendissimum Capitulum fuisset decreta Declaratoria die 5. Nouembris 1610. coram

Card. Lancetto, itaut illius vigore coacti fuiſſent Decanus, & Capitulum extradere Canonicatus poſſeſſionem dicto Aloyſio de Ouiedo, tamen, quia illam extradiderunt cum conſimili proteſtationem denigratiua honoris dicti Aloyſij eiuſque familiæ, diſputato poſtmodum dubio in Rota an conſtaret de paritione, negatiuè reſponſum fuit, vt ex *dicta deciſ.308.*, quàm ad partes manuſcriptam diſtribuimus.

Et licèt ſubindè, mediante interpoſitione Philippi III. obtinuiſſet d. Reuerendiſſimum Capitulum committi Cauſam reſtitutionis in integrum tribus S. R. E. Cardinalibus, & ab iſtis fuiſſent confirmatæ fauore dicti Ludouici de Oueido, ſiue eius hæredùm præcedentes Sententiæ Rotales cum condemnatione inſuper dicti Reuerendiſſimi Capituli tam ad omnes, expenſas, quam ad omnia damna per dictum D. Ludouicum, eiuſque hæredes paſſa, cum ſucceſſiua approbatione dd. Sententiarum per d. Ludouicum per Breue S. M. Vrbani VIII., nihilominus Reuerendiſſimum Capitulum nuper in hac cauſa formauit ſupplicem libellum directum Sereniſſimo Regi Cattholico, in quo contra facti veritatem expoſuit, quod licet dictus Ludouicus de Ouiedo Sententias fauorabiles ab hoc Supremo Auditorio reportaſſet, quod nihilominus mediante interpoſitione gl. me. Philippi Tertij obtinuerit, Cauſam à Sac. Rota auocari, & committi Congregationi Particulari trium Cardinalium, & contra facti veritatem expoſuit, præcitatos Cardinales Sententias Rotales reuocaſſe, & impurum declaraſſe dictum Ludouicum de Ouiedo, qui propterea fuit eiectus à poſſeſſione Canonicatus, & hoc modo contra facti veritatem infamare ſitagerunt Familiam Ludouici de Ouiedo, ſed conſanguinei illius dederunt Memoriale Sereniſſimo Regi, cui exhibuerunt, tàm Sententias Rotales, quàm Sententiam Congregationis Cardinalium, & Breue confirmatorium f. m. Vrbani VIII., vt ex Mamoriali imoreſſo, quod ad partes diſtribuimus, & Sereniſſimus Rex conſulendo indemnitati tot Familiarum illuſtrium opportunas dedit prouiſiones, & remedia.

Si enim RR. PP, poſt decurſum centum, & vltra annorum Reuerendiſſimum Capitulum adhuc obſcurare tentauit contra veritatem Familiam Ludouici de Ouiedo, cuius puritas tot Sententijs confirmata fuerat ex quo in ſuis libris reperijſſet eamdem proteſtationem, ita niſi è Libris Capitularibus deleatur iſta proteſtatio progreſſu temporis denigrabit etiam Familiam Principalis; Reuerendiſſimum enim Capitulum in ea eſt opinione, vt licet alicuius puritas per Sententias, & decreta Supremorum Tribunalium declaretur, Sententias ſemper habet prò iniuſtis, niſi ab ipſo Capitulo puritas approbetur, vt cum dicto facto comprobauit, & etiam cum Inſtantijs factis in hac Cauſa in Signatura Gratiæ, alijſque Tribunalibus; Semper enim obedire detractant in hac materia Sententijs Tribunalium Supremorum, proùt in hac cauſa non contenti tribus

Sen-

Sententiis Rotalibus, approbatione earum facta per Signaturam Gratiæ adhuc tamen Principalem, eiusque Familiam prò impura habere volunt, & hac ratione dictam protestationem transcribere fecerunt in Libris Capitularibus ad perpetuam rei memoriam, vt ostenderent, Principalis Familiam haberi velle prò impura, & dicta protestatione in aliis occasionibus vti sit fortè aliqnis, qui habet parentelam cum Principali prouideretur de aliqua Dignitate, aut Canonicatu in dicta Ecclesia, illum variis subterfugiis,& cauillationibus ad possessionem non admittere, & proindè omninò prouidendum est,vt dicta protestatio à libris Capitularibus deleatur non tantum, quia est contraria dd. exequutorialibus, quinimo quia est etiam indecorosa huic Supremo Auditorio, de quo expresè idem Reuerendissimum Capitulum conquæstum fuit in actu possessionis supradictæ, & non puduit protestari, Principalem ab hoc Supremo Auditorio Sententias, & Literas Executoriales obtinuisse *per viam negotiationum, & protectionum*, quod qua conscientia affirmari potuit, comprænhendere non possumus f

Nota est potentia Capituli in Vrbe, notæ sunt oppressiones per Principalem passæ in Curia propter Capituli adherentias, & alia nota totæ Curiæ quodque Principalis, nisi esset suffultus, magna tollerantia, & incredibili dispendio, non potuisset consequi iustitiam, quæ de præsenti in omnibus Tribunalibus patefacta est, & etiam in Supremis Consiliis Regnorm Hispaniæ, in quibus Reuerendissimum Capitulum, neque præsidium, neque diffugium reperire valuit.

Non obstante vnica responsione, quæ datur in contraria facti, quod scilicet sit permissum illi, cui Litteræ Executoriales notificantur protestari, nec Iuri suo cedere tenetur, neque sententias contrà se latas acceptare, iuxtà theoricam firmatam *in decis.9. Mohedani* nam huic obiecto respondit indiuidualiter *Rosa in d. decis.308. post secundum volumen consil. Farinacci, quam distribuimus.*

Ex alio quoque capite debet decerni Declaratoria, scilicèt ob non extraditionem fructuum decursorum, nam cum Capitulum fuerit in sententijs condemnatum ad fructuum restitutionem in genere, vtique non obstante, quod fructus non sint liquidati, contra Reuerendissimum Capitulum est decernenda Declaratoria, nam tunc sub prætextu illiquidationis euitari potest Declaratoria, quoties condemnatus ad fructuum restitutionem intra terminos ad docendum de paritione comparet in actis, & deponit aliquam summam, & se obligat in forma Cameræ soluere residuum post factam liquidationem, & nisi fiat ista paritio in actis, non potest, sub prætextu, quod fructus non sint liquidati euitare declaratoriam, ex quo debitum est certum in genere, vt distinguit *Rot. decis.174. num.6. coram cl. me. Alexandro VIII. Rot. decis. 220. num. 18. part.10. recent., & coram Coccino decis. 2161. num. 9., & seqq., & dixit no-*

uissimè Rota in Augustana Canonicatus super Declaratoria 7. Maij 1723. coram Reuerendissimo Ponente §. Haud obstante vers. vrges.

Quinimo etiam si Capitulum, iuxtà formam prædictam paruisset, comparendo in actis, & faciendo depositum cum mandato speciali Reuerendissimi Capituli, & obligatione soluendi fructus Canonicatus, & Præbendæ post factam liquidationem adhuc tamen non posset euitare Declaratoriam, quia cum Capitulum habeat Libros, in quibus sunt adnotati fructus, qui singulis annis Canonicis persoluuntur, & per eosdem continuò lucrantur, hoc enim casu, quia statim ex Librorum inspectione possit liquidari summam singulis annis debitam Canonico residenti, & interessenti, tunc dicta obligatio non suffragatur, sed decernitur contra Capitulum Declaratoria, vt rectè animaduertit *Rota coram Coccino dicta decis. 2161* cum alijs Decisionibus allegatis *in dicta Augustiana Canonicatus super Declaratoria coram Reuerendissimo Ponente §. Haud obstante vers. & rursùs*, & alijs adductis in mea Facti. Præsertim quod omnia Capitula Regnorum Hispaniæ inter quæ Tolenatum persoluit Tribunali Supremæ Inquisitionis singulis Annis fructus vnius Canonicatus idcircò facile fuit Capitulo fructus decursos liquidare.

Non obstant auctoritates exaduersò adductæ §. *Cum autem in fine*, nam illæ procedunt in casu, quo in sententijs nulla facta fuit condemnatio ad fructuum restitutionem, vt ex lectura apparet.

Non obstat, quod Principali non debeantur fructus, ex quo non fecit primam residentiam in Scamno Patientiæ, etenim respondemus quod sunt distinguendi casus, nam residentia in scamno Patientiæ est necessaria quoad illum, qui vult gaudere fructibus Canonicatus à die præsentationis litterarum, & donec, & quousque fiant probationes ad formam Statuti, & quousque capiat plenariam Canonicatus possessionem, & hoc est id, quod testatur Præses distributor distributionum, de qua *in Summ. Partis num.4.*, sed D. Principalis dictos fructus non prætendit, sed prætendit fructus à die, quo, post factas informationes, ex quibus constabat de qualitate statutaria, & debebat admitti per Capitulum ad possessionem sui Canonicatus à dicto enim die, scilicet secunda Ianuarij 1713., in qua non fuit admissus, & fuit facto iniusto Capituli impeditus in Choro residere, debet haberi pro interessente, & residente, et vt probatur que omnes fructus, & distributiones sunt persoluendæ, vt probaui in mea Facti §. *Non obstat*, idque non solum ex Iuris dispositione, sed etiam ex speciali prouisione Statuti Toletani, vt probaui in mea Facti.

Non obstante, quod iuxtà articulos exaduersò datos post captam plenariam possessionem ad effectum, vt Canonicus possit lucrari fructus, & distributiones requisitas nonnullorum mensium residentiam, siuè nam omnes residentiæ, quæ requiruntur, siuè ex Statutis, siuè ex consuetudine Ecclesiæ eo ipso; quod Capitulum præstiterit impe-

pedimentum, ne Principalis possessionem caperet, omnes haben-
tur pro impletis, itaut non teneatur Principalis vlteriores facere
residentias, prout fauore dicti Ludouici de Ouiedo contra Reue-
rendissimum Capitulum respondit *Rot. coram Pamphil. decis. 227.
per totam*, vbi quod impeditus facto Capituli sub prætextu impu-
ritatis debentur omnes fructus, licèt primam residentiam non fe-
cerit, neque post captam possessionem tenetur amplius illam face-
re, sic etiam habemus casum consimilem decisum *in vna Ciuitaten.
Habitus impress. penès Manzaned. la* 115, cum quidam Eques fue-
rit impeditus facere Carauanas, & contrà illum mota fuisset lis su-
per nobilitate, super qua victoriam reportauit, disputato dubio,
Rota respondit, Carauanas haberi pro impletis, ex quo fuerat im-
peditus ex facto Magni Magistri ad faciendas Carauanas, quod non
tenebatur amplius illas facere, quia sufficit semel fuisse habitas pro
factis, & ad,mpletis, vt *in dict. decis.* 115. *num.* 4. *Rot. coram Gre-
gor. dec.* 341. *num. prim., vbi plenè Adden.*, itaut in hac controuer-
sia nulla disputatio est necessaria circa residentiam, quæ requiritur,
vt quis possit in Ecclesia Toletana fructus Præbendæ, Distributio-
num, & Anniuersariorum lucrari, quia impeditus iniusto facto
Capituli residere, omnes residentiæ habentur pro factis, & im-
pletis, & ac perindè habendus est, ac si actualiter resedisset, ei-
que debentur omnes fructus, & distributiones, quas lucratur qui-
libet alius Canonicus, qui in Ecelesia resedit, & omnibus functio-
nibus interfuerit, vt indiuidualiter dixit *Rota* contra Reuerendis.
simum Capitulum Toletanum *in d. decis.*227. *coram Pamphil.*, adeo
ut nullo diffugio euitare potest Capitulum relaxationem Declara-
toriæ, vt discat parere, & obedire mandatis rotalibus, imò verò
Apostolicis.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

CORIO


Toletana Canonicatus super par-
ne, & Declaratoria.

P R O


Illm̃o D. Iosepho Fernandez Iuber...
quisitore Regni Murtiæ, ac Can...
S. Ecclesiæ Toletanæ.

C O N T R A

Illm̃os DD. Decanum, & Capitulum
S. Ecclesiæ Toletanæ.



Responsio.



Typis Zinghi, & Monaldi 172...